



# The Holy See

---

**BENEDICTUS EPISCOPUS**

**SERVUS SERVORUM DEI**

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA**

***BUNDANA\****

**IN TANZANIA NOVA CONDITUR DIOECESIS BUNDANA**

Cum esset petitum ut in Tanzania archidioecesis Mvanzaënsis et dioecesis Musomensis ita dividerentur ut nova dioecesis constitueretur ad aptius provehendam aeternam salutem Christi fidelium ibidem degentium eorumque regimini efficacius consulendum, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, omnibus mature perpensis habitoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Iosephi Chennoth, Archiepiscopi titulo Milevitani atque in memorata Natione Apostolici Nuntii, admotae postulationi censuit esse concedendum. Nos igitur, Successor beati Petri et universalis Pater, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus.

Ab archidioecesi Mvanzaënsis separamus territorium districtuum civilium Ukerewe et Ukara, a dioecesi autem Musomensi disiungimus territorium districtuum civilium Saragana et Mabui; ex iisque distractis locis novam condimus dioecesim Bundanam, quam metropolitanae Ecclesiae Mvanzaënsis suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus episcopalem sedem poni in civitate « Bunda » atque templum ibidem exstans, Deo in honorem Sancti Pauli dicatum, ad dignitatem Cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur.

Quae praescripsimus perducet ad exitum praedictus Venerabilis Frater Iosephus Chennoth, qui, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis Congregationi pro Gentium Evangelizatione mittenda. Hanc denique Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis rebus nihil obstantibus.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo septimo mensis Novembris, anno Domini bis millesimo decimo, Pontificatus Nostri sexto.*

THARCISIUS card. BERTONE  
*Secretarius Status*

IVAN card. DIAS  
*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. CIII (2011), n. 1, pp. 4-5

© Copyright 2010 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana